

In illo témpore:

- <sup>46</sup> **P**roficiscénte Iesu de Iéricho  
et discíplis eius et plúrima multítudine,  
filius Timáei Bartimáeus cæcus  
sedébat iuxta viam mendícans.
- <sup>47</sup> Qui cum audísset quia Iesus Nazarénus est,  
cœpit clamáre et dícere:  
«Fili David Iesu, miserére mei!».
- <sup>48</sup> Et comminabántur ei multi, ut tacéret;  
at ille multo magis clamábat:  
«Fili David, miserére mei!».
- <sup>49</sup> Et stans Iesus dixit:  
«Vocáte illum».  
Et vocant cæcum dicéntes ei:  
«Animáequior esto.  
Surge, vocat te».
- <sup>50</sup> Qui, proiécto vestiménto suo,  
exsíliens venit ad Iesum.
- <sup>51</sup> Et respóndens ei Iesus dixit:  
«Quid vis tibi fáciam?».  
Cæcus autem dixit ei:  
«Rabbóni, ut vídeam».
- <sup>52</sup> Et Iesus ait illi:  
«Vade;  
fides tua te salvum fecit».  
Et conféstim vidit  
et sequebátur eum in via.

Verbum Dómini.